



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

LV. Der Bischof Gernand verordnet den Domherrn Daniel von Mukede zum Verwalter des Hospitales, am 6. Januar 1230.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

mina: Alvericus prepositus, Heinricus prior, Jacobus cellerarius, Heinricus camerarius, Heidenricus custos, Heinricus de Jezere, canonici Brandeburgenses, plebani vero Wilhelmus de Pretferewe, Heinricus de Plawe, Johannes de Bantiz, Jacobus de Milowe; sed et laici Conradus, miles de Clezeke, Conradus de Stegeliz, Thidericus prefectus de Pretferewe et alii quam plures. Datum Pretferewe II. Nonas Februarii anno gratie M^o. CC^o. XXVII^o., pontificatus vero nostri anno VII.

Nach dem Original.

LV. Der Bischof Gernand verordnet den Domherrn Daniel von Mufede zum Verwalter des Hospitales, am 6. Januar 1230.

Gernandus, dei miseratione Brandenburgensis episcopus, omnibus Christi fidelibus, hanc literam auditoris, salutem in domino Ihesu Christo. Cum dominus Daniel frater et canonicus noster super hospitali Brandenburg edificando et procurando suam nobis frequenter exposuerit voluntatem et hoc multo desiderio studuerit adimplere, ita ut hanc dixerit primam esse causam, quare se religioni nostre tradiderit et applicuerit loco nostro, nos super hoc proposito suo et alio statu ejus fraterne illi ac pie providere volentes ex consensu capituli nostri concedimus illi, ut usque ad festum penthecostes proximum deliberet et extunc habeat optionem, vel in ecclesia nostra standi cum fratribus et regulariter in ea vivendi vel manendi Pritzerwe, nomine et vice ecclesie, tanquam administrator ipsius in curia et bonis, que ab ipso et per ipsum ecclesie sunt collata, sicut in conscripto super hiis privilegio continetur. Manens autem in villa et administratione bonorum, regulariter se gerat secundum ordinis instituta et in capitulo et tractatibus ejus vocis plenitudinem non habebit. Presidens etiam in hiis bonis, debita sua solvet, quantumcunque ipsi fuerit oportuna, et nichilominus hospitali domui providebit, quantumcunque oportunitas permiserit et facultas. Solutis autem debitis ad ecclesiam et vocis sue plenitudinem, si voluerit, revertetur. Quod si elegerit in ecclesia nostra stare, provisio ei dabitur hospitalis, et ipse Daniel coadjutor erit Heynrici de Clodene, quamdiu ipse in eodem officio permanebit, ac nichilominus juxta quod oportuna ei fuerit, et domui debita sua solvet, assumptis sibi duobus ex fratribus, quos voluerit, consciis, per quorum conscientiam illa solvat, sive residens apud nos fuerit, sive manens in villa. De sex autem mansis Mortzane hoc statuimus, ut census et annona trium mansorum exnunc et in perpetuum custodie nostre cedant, et alii tres mansi cum servitiis ipsorum sex mansorum ad domum pertineant hospitalis, vivente et procurante domum hospitalis domino Daniele; mortuo autem ipso vel domum ipsam voluntarie resignante, cedent omnes mansi et omnia jura eorum custodie memorate. Pascua glandium in sylva Mortzane ad opus cellerarie perpetuo pertinebunt. Quodsi hospitale porcos aliquos habuerit impinquandos, eisdem silve illius pascua concedentur. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M^o. CC^o. XXX^o. Datum Pritzerwe VIII. idus Januarii, pontificatus nostri anno IX.

Nach dem Original.